



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

83. An Vicarius generalis Episcopi habeat jurisdictionem in subditos
Prælatorum Episcopo subiectorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quæstio 81. Num appellari possit à delegato Episcopi ad Vicarium?

1. **R**espondeo negativè: Saltem Episcopo non absente. sbroz. l. 3. q. 7. n. 20. citat pro hoc Guido Papam. q. 272. qui dicat communem. Caslan. Catalog. de glor. mundi. p. 7. consid. 20. Gig. conf. 82. n. 4. Selvam. de benef. p. 2. q. 14. n. 2. Decium in c. dilecti. de appellat. n. 2. Abb. ibid. n. 3. & in c. si quis contra. de foro competent. in 1. lectura n. 25. & in 2. lectur. n. 3. Gemm. in c. licet. de consuetud. in 6. & plures alios. contra Cuchum Inst. Jur. Can. de Vicar. Episc. n. 114. Felin. in cit. c. si quis contra. n. 5. Bald. in c. dilecti. de appellat. Bart. in l. i. §. i. in verb. idem auditorium. ff. de appellat. Cardin. in Clem. 2. de reser. n. 25. & plures alios apud Sbroz. l. c. n. 11. Stabilitur responsio argumento c. studuisti. de off. deleg. ubi de causa specialiter commissa delegato per Papam Legatus generalis se immiscere non potest; quia quo ad illam causam delegatus censetur major ipso Legato. Ad quod tamen dicent adversarii. id mirum non esse; eò quòd Legatus Papæ non faciat unum tribunal cum Papa. sicut Vicarius cum Episcopo. adeoque malè argumentari à Vicario Episcopi ad Legatum Papæ in hoc puncto appellationis. Veruntamen contra est. quòd. ut dictum supra. diciturque iterum paulò post. neque quòd ad causas delegatas idem est tribunal Episcopi. & Vicarii. & delegatus censetur major ipso Legato. Rationem etiam dat sbroz. cit. n. 2. quòd. ut dictum q. præced. Episcopus possit inhibere Vicario. ne in certa aliqua causa iudicet. videatur autem eo ipso id ei inhibere. & auferre Vicario suo jurisdictionem. quòd deleger causam illam alteri. adeoque jam in ea causa ad Vicarium appellari non poterit. Quam tamen ultimam sequentia negare possent adversarii dicendo. quòd licet sublata videatur per hoc Vicario potestas respectu primæ instantiæ principalis. non tamen sublata quoque videatur instantis appellationis. quia talem potestatem non transtulit in alterum. nec sibi specificè seu privative retinuit. & per dictam delegationem non tollitur. quin Vicarius remaneat Judex ordinarius. habens idem tribunal cum Episcopo. Veruntamen etiam hanc sequelam stabilire videtur Sbroz. n. 22. dum ait; præsentè Episcopo propter reverentiam delegantis cessare debere jurisdictionem Vicarii in causa specialiter delegata alteri. intellige omnimodè. hoc est. tam respectu primæ instantiæ quàm respectu appellationis; pari enim modò respectu utriusque urget reverentia Episcopi præsentis. Neque responsioni obstant. quæ obmovent adversarii. Non primò textus cit. c. dilecti. de appellat. ubi Officialis Archiepiscopi cognoscit causam appellationis interposita ad Archiepiscopum; nam textus ille. uti & c. dilectus. loquuntur de appellationibus interpositis iure ordinario ad Metropolitanum. quas Vicarius illius cognoscere potest tanquam habens idem tribunal cum suo Archiepiscopo; hic verò agimus de speciali appellatione interposita à delegato Episcopi. & sic diversa ab ordinaria appellatione. ac ideo de una ad aliam non est argumentandum. sbroz. l. c. n. 25. Neque secundò. quòd Vicarius sit Judex ordinarius habens idem cum Episcopo tribunal. Nam Vicarius semper habet eandem jurisdictionem quam Episcopus. & idem tribunal. sbroz. l. c. n. 24. ut patet in causis specialiter extra generalem commissionem Vicariatus commissis ipsimet Vicario.

2. Ampliatur responsio. ita ut adhuc appellari à delegato nequeat ad Vicarium Episcopo præsentè. dum ipse Episcopus recusatus esset; possit autem in eo casu absente Episcopo appellari ad Vicarium. non

ut in causam discutiat. sed ut alteri discutendam. & finiendam committat. sbroz. n. 26. citans Abb. in c. si quis contra. Franc. in c. 2. de consuetud. in 6. Poterit tamen etiam consulto Episcopo. sive is præsens sit sive absens. causam hujusmodi appellationis cognoscere. sbroz. n. 27.

Quæstio 82. Num appellari possit ad Vicarium à delegato ipsiusmet Vicarii. aliisque Prælati inferioribus?

1. **R**espondeo ad primùm affirmativè. sbroz. l. 3. q. 7. citatis Abb. in c. super questionum. n. 9. de off. delegati. Felin. in c. si quis contra. de foro competent. n. 5. Bertach. de Episc. p. 6. l. 4. tit. de Vicar. Episc. n. 17. ita ut in potestate appellantis sit. eligere quem maluerit. Episcopum vel ejus Vicarium. Et quòd ad Episcopum patet; cum is. ut dictum quæst. ante hanc penult. etiam avocare possit causam pendente coram delegato Vicarii. adeoque multò magis appellationem in ea causa admittere eamque cognoscere.

2. Respondeo ad secundum. posse quoque appellari à sententia inferioris Prælati Episcopo subiecti ad Vicarium Episcopi diocæsan. Sbroz. l. 3. q. 8. citans Melill. in opuscul. de præcedent. Vicar. c. 3. n. 11.

Quæstio 83. Num Vicarius generalis Episcopi habeat jurisdictionem in subditos Prælatorum Episcopo subiectorum?

Respondet affirmativè Sbroz. l. 2. q. 60. ex Jo. And. in c. tua nobis. de off. Vicar. col. 2. Et quidem tam in civilibus quàm in criminalibus. ita ut sit locus præventioni inter Prælatos & Episcopum. nisi aliud suadeat consuetudo. ut idem Sbroz. ex Abb. in cit. c. tua nos. col. 2.

Quæstio 84. An Episcopo præsentè ad hunc recurrendum. an verò etiam ad ejus Vicarium recurri possit?

1. **R**espondeo primò: Tametsi Episcopus potestatem majorem. majusque imperium habeat quàm Vicarius. regulariter tamen ad eundem Vicarium. Sbroz. l. 2. q. 57. n. 16. id probari dicens ex c. 3. de Inst. c. 2. de regul. c. 2. de off. Vicar.

2. Respondeo secundo: Præsentè Episcopo atque ac absente in omnibus recurri potest ad Vicarium Episcopi. Sbroz. l. c. n. 16. citans Boër. decis. 345. n. 6. Bertach. l. 4. part. 5. tit. de potest. Episc. circa judic. num. 92. Jo. And. in addit. ad specul. tit. de offic. Vicar. in c. licet. de off. Vicar. in 6. Item Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 151. nisi forte Vicarius constitutus esset pro solo tempore absentie. ut responsionem limitat Pax Jord. l. c. Potest siquidem Vicarius exercere jurisdictionem suam tam præsentè quàm absente Episcopo. Sbroz. l. 2. q. 64. n. 1. citans Gemm. in c. licet. de off. Vicar. in 6. n. 12. Federic. de Senis. conf. 302. n. 4. Selvam. de benef. p. 2. q. 15. Rebuff. pr. benef. form. Vicar. Archid. n. 187. &c. Sive potest in præsentia Episcopi omnia. quæ ei competunt sive ex generali. sive ex speciali commissione. Pax Jord. l. c. dicens hanc statui regulam communem per DD. quamvis secus sit in reverentialibus. Sbroz. l. c. n. 3. & ex eo Pax Jord. l. c. n. 152. cujus exemplum uterque affert ex c. 1. de off. ordinari. in 6. nimirum quòd Vicarius Archiepiscopi quamdiu Archiepiscopus est in Provincia. non possit exercere jurisdictionem in Episcopos suffraganeos ferendo censuras. de quo infra. Item licet secus sit in casu c. nullus. de temp. ordinari. in 6. ubi prohibe-